



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Disputatio Vnica Cælestis De Cælorvm Natvra, Nvmero Et Motv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

DISPUTATIO VNICA CÆLESTIS.

De Cælorum naturâ, numero & motu.

MULTA hic tractari solent, quæ ad interpretes sacræ Scripturæ pertinent: alia, quæ de diuinatione plus habent, quàm de veritate, alia etiam, quæ in Physicis à nobis disquisita, & in libris de Generatione commodius disquirenda, idèò vnica hac Disputatione totam materiam Deo dante comprehendemus.

SECTIO I.

De Calorum compositione & diuersitate inter se, & à sublunaribus.

DISPUTATIONE V. Physicorum Sectione 3. ostendi, possibile esse corpus simplex completum: unde reiectum est argumentum, quod nonnulli probant calorum substantialem compositionem, de quâ solum nunc agitur: eos enim esse extensiuè compositos, negari non potest, cum oculis ipsorum videamus extensionem. Item Disputat. II. Sectione 10. probaui, posse corpus incorruptibile consistere materiâ capaci formæ corruptibilis: ex quo capite dixi ibi, posse fieri, vt cæli consistant eadem materiâ cum nostrâ. Addidi, posse habere etiam diuersam; quam verò de facto habeant, ibidem dixi planè nobis esse incertum, nullum enim argumentum est, vnde possimus determinare magis ad vnâ partem quàm ad aliam.

Quod verò formæ cælestes differant à sublunaribus, manifestè constat ex diuersis accidentibus, ex magnitudine, incorruptibilitate, &c. quæ apertè ostendunt, ibi esse aliquod substantiale principium diuersum magis à sublunaribus, quàm differunt inter se leo, & equus, de quo rursus infra aliquid. Hæc certa: illud primò dubium, an cæli inter se differant specie. Affirmant Conimbricenses cap. 5. lib. 2. quæst. 2. art. 2. & Hurtadus hic Disputatione 1. §. 33. Probant, quia cælo Lunæ conuenit aliquid quod non potest conuenire aliis cælis, nempe esse sub cælo Solis: item Luna & eius orbis à se non habet lucem vehementem, quam mutuatur à Sole. Hæc ratio displicet: nam cum hi doceant, Lunam esse diuersam à suo orbe, nec illi vnitam, sed aliquid inferum in illo (idem de Sole respectu sui orbis) non probat argumentum factum, orbes in quibus inserti sunt hi Planetæ, esse diuersos, sed solum Planetas esse diuersos. Multò autem minus probat, quod de altiori situ vnus cæli præ alio dicitur: quæ enim repugnantia, vt duo sint circuli eiusdem speciei, quorum vnus sit supra alium? nonne ita contingit in omnibus globis eiusdem materiæ? superior enim pars est altior quàm inferior. Item potest artifex creatus ex

eodem ligno facere duos globos, vnum intra alium, & in vno inferere aurum, in altero verò argentum: nonne idem melius Deus ipse præstare poterit? Certè in ipsis orbibus nulla apparet nobis differentia, imò adhuc est sub lite an sint distincti: quomodo ergo iam tam certò inde asseritur eorum diuersitas specifica? Adde, in quolibet orbe esse partes inferiores & superiores, quæ tamen non propterea inter se specie differunt. Fateor, si orbis, vbi est Luna, naturâ suâ peteret Lunam & non Solem, è contrario verò alter orbis naturâ suâ peteret Solem & non Lunam, possit inde inferri, eos esse diuersos: at cum hæc alia sint in eis sine physicâ vnione inserta, nec apparet exigentia talis determinata in ipsis orbibus, planè non video, vnde eos diuersos esse specie inferatur. Quod adhuc clariùs confirmatur, quia potest materia prima eiusdem speciei, vt hi fatentur, esse vnita & formæ cæli & formæ humanæ aut equinæ, ideoque hi dicunt, incertum omnino esse an sint hæc materiæ diuersæ in specie; ergo multò aequiori iure duo orbes similes poterunt habere duo astra diuersa, non quæ exigant determinatè, sed vel nullo modo exigant, vel indifferenter, præsertim cum illa astra eis non sint vnita.

Censeo igitur dicendum, probabilius esse, illos esse eiusdem speciei inter se: omnes enim in se diaphani, omnes capaces lucis, nulla in eis diuersitas apparet. quòd autem vnus orbis sit de facto in loco altiori, & in maiori magnitudine, nihil prorsus probat, vt ex dictis constat. Dico, probabilius, quia non video repugnantiam in eo, quòd dentur duo orbes cælestes inter se diuersi: quando tamen nos nullum videmus diuersitatis indicium, melius dicimus eos esse eiusdem speciei.

Secundò dubium est de astris ipsis, an inter se differant. In hoc ego puto cum communi, omnino esse diuersa: nam lucis diuersitas, quæ à Sole promanat, non autem à Lunâ, aut aliis astris, item diuersæ influentiæ, quas Astrologi & alij notant, sufficienter specificam eorum inter se diuersitatem ostendunt, in quâ non est cur amplius immoremur.

S E C T I O I I.

Cæli non sunt animati.

6 CÆLOS esse animatos, fuit opinio aliquorum
 Apud Conimbricenses lib. 2. cap. 1. quaest. 1.
 art. 1. pro quâ etiam stetit videntur aliqui Pa-
 tres, non tam fortè ex suâ, quàm ex Philosopho-
 rum mente locuti. Hæc sententia communiter
 ab omnibus rejicitur, & meritò, quia sine vilo
 prorsus fundamento eis vitam tribuit, quod non-
 nulli sic, discurrendo per omnes vitas, ostendunt.
 non enim sunt intellectui, tum quia solus homo
 & Angelus sunt procreati ad videndum Deum,
 tum quia res omnino materialis non potest in-
 telligere, tum quia cælum non est capax meriti
 aut demeriti. Arbitror nullam ex his rationibus
 quidquam probare: posset enim dici, etiam si cæli
 essent intellectui, Deum non fecisse illis hanc
 gratiam quam homini & Angelo, ut eos ad sui
 visionem eleuaret. Deinde, quia, ut sæpè dixi,
 potest esse aliquis intellectus capax cognoscendi
 aliqua obiecta spiritalia, non verò omnia; sicut
 inter potentias materiales visus est capax videndi
 colores, & tamen non est capax videndi sonos,
 etiam si hi materiales sunt. possent ergo cæli esse
 intellectui aliquorum obiectorum, etiam si
 Deum non possent nec abstractiue cognoscere.
 Quod de potentia materiali dicitur, rejicitur
 Disputatione v. de Animâ à num. 17. ubi ostend-
 dam, posse à potentia materiali obiectum spiri-
 tuale cognosci. Præterea in hoc ipso est difficul-
 tas, vnde scilicet probetur, cælos non habere
 formam aliquam spiritualem, quod fortè diffici-
 lius ostendetur, quàm eos non esse intellectu o. s.
 Tandem, quod de merito & demerito dicitur, le-
 ue est: ostendam enim infra, posse dari substan-
 tiam intellectuam nullo modo volitivam, vel si
 volitiua sit, non tamen idèò futuram liberam, sed
 posse esse aliquam, quæ proposito obiecto melio-
 ri sit necessitata ad illud amandum, quod de facto
 docet de nostrâ voluntate Vasquez: vnde nos
 contra illum benè arguimus, libertatem nostram
 8 destrui. Habeat ergo vna creatura intellectualis
 possibilis hoc, quod de facto in nostrâ Vasquez
 ponit, quæ inde sequentur contradictoria? Malè
 ergo, eò quod cæli sint incapaces meriti, eos non
 esse intellectuos infertur; possunt enim esse in-
 tellectui non volitui, vel volitui, necessitati ta-
 men, sicut brutum.
 Secundò, cælos non esse sensitiuos, probatur
 ab eisdem, tum quia sensatio indiget calore, tum
 quia etiam petit organa sensationi apta; vtroque
 autem cæli carent. Neque hæc ratio est præce-
 denti melior: nam, licet nostra sensatio petat ca-
 lorem, & alias primas qualitates, non tamen idèò
 omnis sensatio possibilis eas petit. vnde ergo
 constat, cælos non habere tales sensationes? Se-
 9 cundò, cælos habere in se aliquos gradus caloris,
 est adhuc incertius: non enim inde sequeretur,
 eos posse corrumpi. de organis res est etiam du-
 bia. Certè hi, contra quos arguo, ponunt in cæ-
 lis canales, per quos, tamquam per nervos senso-
 rios in homine, deferri possent species sensitivæ;
 sunt etiam varia accidentia, quibus iuvare posset
 cælum ad sensationem. Deinde, caro ad sentien-
 dum calorem, vel nullis vel valde exiguis orga-

nis indiget, vnde autem constat, similia non dari
 in cælis?

Eos tandem non habere altricem facultatem,
 probant, eò quod sunt incorruptibiles: deinde,
 quia ex continuo augmento indes crescerent, &
 ab eis excrementa diffuerent. Neque hæc ratio-
 nes quidquam probant: nam alibi ostendam,
 corpus essentialiter incorruptibile posse habere
 virtutem se augendi ab intrinseco, introducen-
 do in materiam proprias dispositiones & for-
 mam, quæ iam semel introducta non possit vilo
 modo expelli. Et miror, quod cum hi, contra
 quos ago, admittant, eandem materiam posse
 esse capax formæ corruptibilis & incorrupti-
 bilis, non viderint, etiam si cælum haberet vir-
 tutem introducendi suam formam in materiam
 æris (quod agens extrinsecum v.g. Deus potuit
 facere) non idèò cælum corruptibile fore. Quid
 enim quoad hoc, magis conducit, eam formam
 produci à solo Deo, quàm produci ab alio cælo?
 Illud de excrementis ex hac ipsâ ratione rejici-
 tur, quia scilicet non corrumpetur cælum.
 Quod de continuo augmento asseritur, parum
 urget: nam sicut homo, & alia animalia, ac plan-
 tæ habent facultatem altricem, non tamen pro-
 pterea se ære vel igne nutriunt, neque crescunt;
 ita potuit cælum habere virtutem introducendi
 suam formam in materiam sublunarem, depen-
 denter tamen ab aliquibus dispositionibus, quas
 quia vel in igne vel in ære sibi vicino non repe-
 rit, non eo augetur, sicut nec viuientia sublunaria
 eodem augentur. Hinc constat, ratione nullâ
 posse ostendi positivè, cælos vitæ carere; vnicæ
 ergo ratio pro hac sententiâ est, quam supra re-
 tigi, scilicet nullum esse vel leue vestigium, pro-
 pter quod eis vita tribuatur magis quàm mari aut
 æri, non ergo eis debet vilo modo tribui, non
 enim vita tribuitur alicui rei, nisi vel ratione vel
 experientiâ id aliquo modo persuadeatur.

Dices Primò: Si ratio contrarium non docet,
 etiam nò debet vitæ negari. Respondeo, ad negan-
 dam alicui rei vitam, sufficiens esse argumentum,
 nec ratione nec experientiâ contrarium ostendi.
 Sic nullus dubitavit negare vitam æri, adamanti,
 lapidi, &c. etiam si positivum argumentum
 non habeatur ut ostendatur ei repugnare, nisi
 quia satis magnum argumentum est, nec leue
 in eis vestigium vitæ apparere; vita enim seipsam
 prodit.

Secundò dices: Cæli moventur motu locali ab
 intrinseco, ergo viuunt. Huic obiectioni iuxta di-
 cenda à me inferius facile responderem, admissio
 Antecedente, & negatâ consequentiâ: non enim
 sufficit ad vitam virtus producendi aliquid ab
 intrinseco. Secundò respondeo, cælos non à se,
 sed ab extrinseco, ab Intelligentiâ assistente, id est,
 ab Angelo moveri.

Tertiò dices: Cæli se ab intrinseco variis acci-
 dentibus ornant, ergo sunt vitales. Respondeo
 Primò, falsum esse Antecedens, ille enim orna-
 tus, id est variæ stellæ quæ in ipsis sunt, non ab
 ipsis cælis, sed à Deo fuere productæ. Secundò,
 ex dicendis infra in Disputatione de Vitâ consti-
 bit, id non sufficere ad rationem vitæ.

SECTIO III.

An cæli sint incorruptibiles & solidi.

- 13 **D**vo hæc simul disquiro, quia inter se valde connexa sunt. Vtrumque ante aliquot annos omnino extra controuersiam fuerat: licet enim olim aliqui Philosophi cælos corruptibiles iudicauerint, alij verò eos fluidos constituerint, ea tamen opinio exoleuerat planè iam in Scholis: non multis autem ab hinc annis, propter quorundam Mathematicorum & Astronomorum diligentes obseruationes, quas nouis exquisitisque instrumentis adiuti, inuenerunt, & præcipue tubi optici subsidio, calorum structura penitus à nonnullis inuerti cæpit: quidam enim cælos fluidos, alij etiam corruptibiles constituunt; acriterque conantur, non posse aliter noua phenomena his annis deprehensa declarari. Et ne nouam planè sententiam videatur inducere, retrocedentes conantur etiam suadere, hanc fuisse antiquorum Ecclesiæ Patrum mentem. Alij verò auitarum opinionum acerrimi propugnatores, huic nouæ, temeritatis vel erroris notam inurere non dubitant. Non est animus in præsentem totam hanc questionem ex professo tractare, & omnia vtriusque partis argumenta ad trutinam reuocare; (deberem enim hic extra meum intentum vagari, & longiorem disputationem inferere, quam par sit) dicam tamen ex vniuersalibus principiis, quid cuiuslibet sententiæ ex istis tribus posse videatur. De hac questione egit Paulus Aretius lib. 1. de Generatione, quæst. 23. sect. 8. ubi cælos liquidos adstruit. Noster item Tannerus libello quodam de materiâ hæc, qui postea ferè totus insertus est in ipsius Theologiæ primum Tomum de Creatione mundi, quæst. 3. dub. 2. & Mathematici nonnulli.

SUBSECTIO PRIMA.

Quædam supponuntur, & variæ sententiæ relata.

- 15 **P**rimò suppono, non esse idem, corpus esse liquidum, & esse corruptibile; neque è contrario idem esse corpus solidum, & incorruptibile: nam crystallus, lapis, lignum, &c. sunt corpora solida, & non sunt incorruptibilia, & potest esse aliqua substantia facillè permeabilis, licet non possit corrumpi.

Hinc suppono Secundò, aliquas experientias adduci ad probandum, cælos esse fluidos, quæ non propterea quidquam probant de eius corruptibilitate; alias verò è contrario ad probandum eos esse corruptibiles, quæ non ostendunt illos esse fluidos, vnde eas oportet valde inter se distinguere.

Tertiò suppono, Cum quærimus, an cæli sint fluidi, non quæri à nobis an sint quasi quidam liquor aqueus, qui facillè labitur; sufficit enim, si sint facillè permeabiles, ad modum quo est noster aër, qui tamen non vocatur absolute liquor.

- 16 His positis, prima sententiâ vniuersaliter omnes cælos, etiam firmamentum seu stellarum, facit fluidos. Ita aliqui antiquiores apud Tannerum supra, & nouissimè Tycho Brahe magnus stellarum & Planetarum obseruator.

Secunda sententiâ est eorum, qui stellis inerrantibus cælum solidum tribuerunt, Planetas verò & stellas quæ suum cursum mutant, per se constituunt, & per cælos inferiores liquidos tamquam aues per aëra, aut in mari pisces ferri putarunt: pro quâ sententiâ nonnullos etiam ibidem refert idem Tannerus à num. 16.

Tertia sententiâ est Bonauenturæ apud eundem num. 22. aientis, vnicum tantum esse cælum, ita tamen molle, vt possit secundum vnam partem moueri, non secundum alteram, sine discontinuatione tamen, vt astra moueantur, cælum verò sit quietum.

Quarta & vltimâ sententiâ est, omnes cælos esse solidos, & ita multi antiqui & recentiores, quos fuscè idem citat à num. 24.

SUBSECTIO SECUNDA.

Aliqua argumenta pro sententiâ cælos liquidos adstruente.

Pro sententiâ asserente cælos esse liquidos, asferuntur multa Patrum loca, in quibus videntur docere, cælos non moueri, nec astra illis propriè fixa, sed posita in cælis, sicut Adamus dicitur positus in paradiso, non tamen in eo fixus. Ita Iustinus Martyr ad quæst. 39. Orthodoxor. Eusebius Emisenus in Catenâ Lipomani in cap. 1. Genesios, Gregorius Nyssenus in Hexæmeron, Chrysostomus Homiliâ 6. & 13. in Genesim, Procopius in cap. 2. Genesim, Diodorus Tarlen. in Catenâ Lipomani, Philastrius in suo Catalogo hæreseon. Verùm hi Patres non videntur vllò modo cælos fluidos constituissè, vnde malè pro hac sententiâ referuntur: solum enim dicunt, non esse in eis fixa sidera, sed hæc per se moueri; è quo nullatenus inferitur, cælos esse liquidos, possunt enim illa sidera trahi infra cælos immediatè, etiam si illi duri sint; imò vt trahantur supra illos & semper in eodem loco, aptior videtur soliditas. Solum Ambrosius lib. 1. Hexæm. c. 6. secutus Basilium, videtur cælos facere subtiles: sed Basilius paulò post verba citata, dum ex proposito quærit qualis sit natura cæli, non audet id definire. Ambrosius fortè non de cælis prout sunt de facto, sed de primâ eorum naturâ loquitur: iuxta mentem enim Patrum eos ex aquâ consolidatos esse, fuscè conatur probare Sallianus noster Tomo 1. Annalium, ad diem secundæ opus; an autem efficaciter, dicam inferius.

Hinc etiam constat aliud argumentum, quod ex Scripturâ affertur pro eâ sententiâ, è quod non cæli, sed Sol & Luna moueri dicantur. Hoc inquam argumentum constat non esse ad rem, nam inde solum inferitur, astra non esse infixa cælis; hos verò fluidos esse, nullatenus sequitur.

Fortius videtur ea sententiâ persuaderi rationibus ex aliquibus experientiis deductis. Primò, quia Luna apparet inæqualis, habens montes, valles, &c. ergo non est corpus planum; ergo cælum, per quod mouetur, est fluidum. Huic argumento facillè responderetur Primò, etiam si Luna habeat totam eam inæqualitatem, non probari inde quidquam: cum enim Luna sit immediata regioni aëris, poterit rectè cum omnibus suis gibbis hinc inde aërem; dum mouetur, nec vlla erit planè necessitas, cælos ponendi fluidos. Secundò re-

spondeo, non posse villo instrumento ostendi, nisi ad summum aliquas partes Lunæ non reddere lucem; eas autem esse vacuas, non posse demonstrari: ex eo enim quod ibi nihil videatur, non sequitur nullum esse corpus, potest enim esse vnum incapax lucis siue solidum siue fluidum sit, vel fortè ita diaphanum vt non reddat lucem, quod ad præsentem quæstionem parum atinet.

20. Secundo obiciuntur nouæ stellæ, Cometa, seu phænomena manifestè supra Lunam conspecta; eodem enim temporis momento ex diuersis mundi partibus in eadem altitudine sunt deprehensa, & vt ex ipsis instrumentis constat, supra Lunam in altioribus orbibus necessario sunt constituenda. Huic argumento respondent nonnulli recentiores in manuscriptis, eos Cometas desumi ex coniunctione variorum corporum lucidorum, quæ sunt in ipsis cælis, quæque seorsim videri non possunt, vario autem motu cælorum, dum ad se accedunt, faciunt Cometam visibilem. Hæc solutio mihi videtur planè improbabilis: etenim, si illa corpora lucida essent semper in cælo, debuissent aliquando videri mediis Cometa in vnâ parte, & in alterâ alter mediis, & postea ambo simul. Quod manifestè ostendo: nam Cometa etiam quando primò apparent, conspiciuntur in tantâ magnitudine, vt etiam si essent solum in mediâ magnitudine, imò & in quartâ parte, possent videri & distingui; ergo si ex coniunctione eorum corporum successiuè factâ resultarent, tunc primò debuissent videri quando in magnitudinem vnius stellulæ conueniunt, quia tunc essent capaces terminandi visum: hoc autem aperte est contra experientiam. Nec potest responderi, tunc primò factam eorum corporum coniunctionem, antea verò omnia seorsim in exigua valde quantitate fuisse. Non potest, inquam, id dici: quia, si sunt multa corpora, non videtur credibile non prius duo aut tria conuenisse, quam decem vel duodecim, præsertim cum, vt hæc solutio contendit, ille concursus fiat paulatim ex motu cæli.

Secundo reicitur ea solutio, quia ea corpora ita videntur, vt planè efficiant vnum quid per se vni forme & perfectè contiguum, quod regulariter non posset fieri, si solum esset casualis concursus partium illuminatarum; sæpè enim vna esset latior alterâ, vna obscurior alterâ, quasi diuersi luminis, &c.

22. Tertiò reicitur, quia deberent esse tales Cometae frequentiores, imò ferè certis temporibus redire redeunte iterum ex motu cæli eadem dispositione partium, & concursu lucis, sicut frequentius videntur eclipses & aliorum Planetarum concursus, quod hic maiorem habet locum, eò quod tam multi Cometae, qui hucusque visi sunt in diuersis formis & figuris, necessariò denotent multa esse per totum cælum similia corpora lucida sparsa.

Tandem reicio, quia si Cometae essent ex concursu diuersorum motuum in ipsis cælis, nõ possent videri constantes per multos dies. Pater enim, nam motus hi cælorum, cum semper varientur, si vnâ nocte v. g. ex isto motu coniunctæ sunt sex vel septem partes lucidæ diuersorum cælorum, sequenti nocte deberent iam esse paululū disiunctæ, & tertiâ magis; atqui sæpè Cometae hi eodem modo duobus aut tribus mensibus,

etiam annis durant; ergo repugnat, eos componi ex diuersis partibus luminosis cæli per motum concurrentibus.

Secunda ergo solutio posset esse, numquam tales Cometae esse supra Lunam, sed omnes illos infra: quia verò Lunæ altitudo magna est, possunt, etiam si non sint, supra cælum illius videri; Astrologos autem etiam post noua hæc instrumenta & tubos, aliquantulum in latitudine deprehendendâ decipi, imò ipsos inter se non parum rixari in hoc puncto. Hanc solutionem supra Tannerus bene ostendit & probabilem: ego tamen absolute propendeo magis ad iudicandum, ferè omnes Cometas naturales non esse, quam solutionem fuisse ibi Tannerus etiam docet esse probabilem. Moueor, quia portendunt semper aliqui futurum liberum pendens à voluntate hominum, vel bella grauissima, vel seditiones, vel violentas Regum & Principum caedes, &c. & vix in historiis inueniuntur vnquam Cometa, qui aliquid simile non portenderit. Quomodo autem poterit quis sibi persuadere, eos concursus, aut exhalationes naturales, aut quidquid illud sit, solum tunc fieri, quando talia euentura sunt, quasi ipsæ stellæ aut exhalationes id diuinassent & prænouissent? Certè id cuiuslibet statim apparebit falsum, & multò minus dici potest, ea homicidia aut bella esse effectus secutos ex talibus coniunctionibus: quid enim illa exhalatio influat in eor proditoris, & huius potius hominis quam illius, vt quasi illum cogat ad Regem suum violenter mactandum? Absit hoc à mentibus Catholicorum. Si ergo tales Cometae semper à Deo specialiter tamquam malorum imminentium præcursores & prodromi ostenduntur, quis eridet eos à causis purè naturalibus provenire? Melius ergo dicetur, miraculosè Deum lucem illam in aliquâ parte cæli ad tempus producere, & tunc nec cæli fient liquidi, nec corruptibiles, & poterit illis dari quæcumque altitudo: nam tam facile est Deo eos in vltimò quàm in primo cælo collocare, nec necessarium est, in vanum frangere sibi caput, quærendo causas naturales quæ verè non sunt, à quibus ibi talis stella cincinnata, aut caudata, vel quomodocumque sit, efformetur, & tandiu conferuetur, quæque postea deficiat.

Dixi, ferè omnes: nam fortè erunt exhalationes aliquæ naturales infra Lunam aliquomodo accensæ, sicut frequenter solent videri; illa tamen non sunt propriè Cometae de quibus hic agimus, nec aliquid lingulare portendunt, nisi ad summum effectus aliquos naturales, qui ex influentiis oriri solent.

SVBSECTIO TERTIA.

Alia pro eadem sententiâ fundamenta, & iudicium de illâ.

TERTIÒ arguitur: Quia aliquæ apparent stellæ, quæ iam sunt supra Solem, iam infra, iam ad vnâ iam ad aliam partem. Ita de Venere, Mercurio & Marte obseruauit Mathematici. Idem argumentum fit de stellis, quas *Somales* vocant, quatuor scilicet stelle Iouem ambientes, quæ passim in diuersâ ab eo distantia conspiciuntur; quod fieri non posset, si essent in cælo solido fixæ.

Tan-

Tannerus, licet has stellas circa Iouem admittat, postea tamen num. 93. conatur ostendere, oblationes has non esse ad eod. certas: quod ego etiam verum puto, quia in mensurandâ eâ altitudine facillimè erratur, & error levis instrumenti vel dispositionis facit postea immensum errorem in conclusione ab eo deductâ. Sed quidquid sit de hoc, respondeo cum communi, pro eis stellis ponendos esse diuersos epicyclos, quibus vehantur motu proprio, distincto à motu celi.

26 Verum hinc insurgit difficultas, vel debere inter cælum & cælum dari spatium aliquod vacuum, per quod tales epicycli moueantur, quod videtur absurdum, vel intra ipsum cælum debere esse canales, per quos ipsi moueantur: unde natus sit, futurum vacuum in cælo, nam locus, quem epicyclus deserit, nullo alio corpore repletur, dari autem vacuum, videtur absurdum; ergo. Huic obiectioni respondeo facillè. Primò, in meâ sententiâ, vacuum non repugnare naturaliter, nisi quatenus Deus in initio produxit corpora, quibus tota intercapdo inter cælos esset repleta, & quia naturaliter non possunt duo corpora penetrari, ideò nec potest ab eis relinqui vacuum. Quod si Deus, ut potuit sine vllò miraculo, non tot corpora produxisset, quot erant necessaria ad implendum spatium, extitisset vacuum naturalissimè. Vnde non tenui, in cælo eas vacuitates relictas ab epicyclis vllò modo admittere, neque in eis vllum video absurdum.

27 Secundò & melius respondeo, eos epicyclos nullum relinquere vacuum, sed rectè posse assignari tamquam quatuor v. g. circulos, vnum intra alium, & in medio Iouem; dum autem illi mouentur circulariter, sine vllò vacuo iam sunt ex hac parte, tam ex illâ Iouis.

Secunda difficultas est, quia per istos epicyclos videntur turbantur species ex superioribus Planetis: quando enim species transeunt per corpora concava ex parte, valdè turbantur. Respondeo, id esse verum, quando illa concavitas non repletur aliquo corpore diaphano & æqualiter capaci lucis; nego verò, quando tali corpore impletur: epicycli autem implent eam vacuitatem, suntque eodem modo capaces lucis quo reliqua pars cæli, vnde illorum motus non turbat species.

28 Quartò arguitur ex maculis solaribus, quæ deprehensæ sunt per tubum opticum, quæque passim mutantur, crescunt, decrescunt, &c. hoc autem non potest fieri, nisi sint ibi aliqua corpora corruptibilia quæ opponantur, & eo ipso cælum sit fluidum, aliâ ea corpora non possent illuc intrare mutando locum, nec crescere, aut decrescere. Hoc argumentum non videtur fauere calorum corruptibilitati: nam si ideò dicemus, cælos esse corruptibiles, insurgerent inde mille difficultates; in primis enim non solum infra Solem talia corpora producerentur, sed passim infra stellas aut Planetas aliquos; eadem enim ibi esset calorum capacitas, & applicatio etiam agentium contrariorum. Hoc autem aperte repugnat experientia: numquam enim sereno aère stellæ aliquæ certè absconduntur aut occultantur nobis, deberent autem passim per talia corpora, quæ quia valdè inferiora & magna, possunt nobis integras stellas occultare. Nec potest dici, solum iuxta Solem fieri eam corruptionem,

& productionem nouorum corporum; hoc, inquam, dici non potest, tum quia agens ibi corruptens non est Sol, hic enim potius conuerteret in se illa corpora, & eis potius lucem quam tenebras communicaret; tum quia licet solus esset, cum tamen illa corpora non durent vnico tantum instanti, & passim angeantur, debuissent etiam postea se extendere, & aliquando ibi manere (cum enim cælum ponatur fluidum, cur deberent semper currere post Solem?) ergo aliquando, ut dixi, de nocte causarent stellarum occultationem.

Secunda difficultas est, quia si darentur ibi agentia, quæ facerent in tam ingenti vastitate corporis substantialem mutationem, ac tam ingentem, planè esset dicendum, posse aliquando extendi ita ea corpora, ut totus Sol occultaretur: cum enim crescunt & decrescunt valdè tales maculæ, cur ab agentibus illis non fieret aliquando tanta extensio, quæ totum Solem tegeret? non enim est credendum, ea agentia esse tam prouida, ut non velint tantam materiæ quantitatem mutare, quanta posset Solem eclipsare. quomodo enim ea agentia id diuinant?

Tertia difficultas est, quis ea corpora mouerit, ut in æstate & in hieme, manè & vespere, quando Sol tam diuersa & diffusa loca occupat, semper ea infra se habeat.

Quarta difficultas, quia cum omnia corpora cælestia (exceptis his maculis) sint diaphana & lucida, quod agens incapax lucis ibi ponetur, quod producat corpora incapacia lucis?

Dices, ea etiam esse capacia lucis saltem in superficie, licet ea non transmittant. Sed contrâ, ergo quando Sol ea illuminat ex aduersâ parte, v. g. in nocte, deberemus ibi habere nouas aliquas Lunas aut stellas: iam enim dixi paulò antè, si cæli liquidi sint, & talia corpora dentur, non posse dici, debere semper trahi cum Sole.

Vides ergo, vix posse per corruptibilitatem cælorum, & eorum liquores aliquid explicari de eâ difficultate, de quâ fusè noster Schainer vno integro Tomo, quem tamen adhuc non habui ad manus, ut quid in eo sentiat viderem. Interim putarem cum communi recentiorum, esse vel Planetas vel partes aliquas cæli opacas, quæ lucem non transmittant: vel iuxta nostra principia de vacuo posset dici, esse aliquas vacuitates, in epicyclis iuxta Solem constitutas.

Dices: Ad quid ergo Deus reliquit ibi eas vacuitates? Respondeo, ad eundem finem, ob quem posuit ea corpora opaca, quæ nihil aliud efficiunt quam impedire Solem, quod rectè fit ab eo vacuo. Fortè Deus id ita disposuit, ne Solis ardor nimium vreret: valdè enim, talibus corporibus interpositis, ac interiacentibus vacuitatibus, retardatur eius actiuitas.

Adhuc replicabis: Si Deus iis corporibus interpositis volebat impedire Solis actiuitatem, melius fuisset illum fecisse paulò minorem, tantum scilicet quantum occupatur ab eis corporibus, & sic totum relinquere sine vllâ maculâ. Respondeo Primò, transeat quod id fuisset melius physicè loquendo, numquid teneretur Deus facere quæ sunt physicè meliora? Secundò nego Antecedens, nam hæc Solis maculæ aliquando sunt maiores aliquando minores, aliquando versus vnâ partem, aliquando versus aliâ,

aliquando nullæ; quod valde conducit ad diuersas influentias, & in diuersis partibus. Si autem Sol esset minor, sine vllis tamen maculis oppositis, æqualiter semper & ad omnes partes suam actiuitatem exerceret. Aliæ possent congruentiæ adferri, hæ nobis sufficiant.

Ex his concludo, etiam si aliquā probabilitate, celos esse liquidos, argumentis in hac Subsecutione factis videatur ostendi, non tamen ita euidenter vt aliqui recentiores indicant, qui sine fluidis celis argumento supra facto explicari nullo modo posse arbitrantur: infra tamen num. 53. vnam ponam pro hac sententiâ efficaciorẽ rationem, quæ redditur mihi probabilior.

SUBSECTIO QVARTA.

Quid de sententiâ celos adstruente solidos.

33 SENTENTIA celos omnino solidos constituens, non tam ratione quàm auctoritate fulcitur: ratio enim, aut experientia nulla planè est, quæ prober, eos debere esse solidos: nam motus Planetarum, &c. potest fieri si soli ipsi Planetæ vel à Deo, vel etiam ab Angelis moueantur. imò hinc infra num. 53. impugnabo non parum efficaciter hanc sententiam.

Dices: Aristoteles docet, celos moueri ab Intelligentiâ. Respondeo, hoc ipsum esse argumentum ab auctoritate. Secundò, Aristoteli in hac re, quæ purè pender à Dei voluntate, de quâ nullam habuit reuelationem, parum esse credendum, si aliunde id non probaretur, de quo infra.

Dices tamen à ratione: Si celi sint fluidi, & Planetæ per eos tam celeri motu rapiantur, necessariò debent sonum maximum excitare: si enim vna auicula, dum aërem secat velociter, non leuem sonum causat, quid non causet im-

34 mensa Solis vastitas? Hoc argumentum planè nullum est, tum, quia possent celi esse naturæ incapaces soni, sicut multi dicunt, intra aquam fieri non posse sonum. Et quidquid in aqua de facto sit, illud certè negari non potest, talia corpora, soni incapacia, esse possibilia. Secundò dico, non inferri, etiam si ibi maximus fieret sonus, eum audiendum: cum enim distent à nobis ad multa millia milliariarum, nonne facillè poterit defendi, non percipi à nobis? Tertiò, etiam si celi sint ex se soni capaces, possent Angelos motores Planetarum id sine vlllo strepitu præstare.

Iam ergo ad auctoritatem veniendo, duobus aut tribus Scripturæ locis ea sententia maximè nititur. Primus est ex cap. 34. Iob, vbi Eliu dicit, celos esse solidissimos, & quasi ære fusos. Secundus est ex cap. 4. ad Hebræos v. 14. vbi Christus Dominus celos conscendens dicitur eos penetrasse, quod non fuisset necessarium, si celi essent fluidi, poterant enim cedere, & dare locum.

35 Tertiùs est Isaia 51. v. 5. vbi hæc habentur: *Celi quasi fumus liquefcent.* loquitur ibi Propheta de fine mundi. quid autem id prædiceret, si de facto liquidi sunt? Quartus est ex Psalmo 32. vbi celos esse verbo Domini firmatos, dicit Regius Vates, cuius filius id ipsum affirmat Prouerb. 3. *stabilimentum celos prudentiâ.* Denique ipsa vox *firmamentum*, quæ in Scripturis vocatur, videtur idem ostendere. Hæc tamen omnia loca possunt facillè

explicari de calo empyreo, & de calo stellarum fixarum, quod communiter iam vocatur *firmamentum*.

Sed replicabis cum Tannero: Scriptura etiam celum Solis & Lunæ vocat firmamentum, aut enim, duo illa luminaria magna posita esse in firmamento celi; ergo etiam celum Solis & Lunæ sunt firmi & solidi.

Secundò, Scriptura indefinitè loquitur de omnibus celis, vnde semper loquitur in plurali, non ergo potest iuxta Scripturam ea fieri distinctio. Miror, Tannerum tam esse rigidum in acceptione harum vocum, cum ipse omnia loca Scripturæ & Patrum, quæ aquas supra celos esse clarius multò doceant, quàm celos esse solidos, omnia inquam ea loca interpretetur in significatione æquiuocâ vocis *aqua*, ponendo scilicet aliquod corpus spirabile diuersum omnino specie à nostris aquis, cui ipse solus imponit nomen *aqua*, vt sic saluet Scripturæ & Patrum testimonia. Et certè nec Patres nec Scriptura locuti sunt in significatione ab ipso nunc recenter inueniendâ, sed in communi apud omnes. Si ergo licuit illi loca illa interpretari, ponendo nouam significationem, cur non poterimus nos dicere, propositionem indefinitam non de omnibus celis absolute intelligendam? quod facillè multis aliis testimoniis à simili possumus probare. Sic herbas dicitur Deus tradidisse in cibum, item & animalia: vbi etiam Scriptura vtatur nomine *omnis*, certum tamen est, non omnes herbas esse alimentum, nec omnia animalia; multa enim sunt venenata, multa non nutriunt, &c. Similiter dicitur indefinitè, in Angelis suis reperit prauitatem, & tamen non in omnibus propterea reperit prauitatem. Sic multa alia exempla adferri possunt. Quod verò dicitur, Solem & Lunam esse in firmamento positos, admitto libenter; dico tamen, nomine *firmamenti* non intelligi idem quod corpus solidum; imò multi, inter quos sunt PP. Molina, Pererius, Delrio, quos refert & sequitur Hurtadus, nomine *firmamenti* etiam aërem & spheram ignis intelligunt. Et videtur clarum ex Scripturâ: nam id dicitur diuidere vnum ab alio, quod est vtrique contiguum; non enim dicitur Gallia diuidere Hispaniam ab Asia, nam licet sit inter Hispaniam & Asiam, non tamen est vtrique immediata, post Galliam enim est tota Germania, Polonia, Tartaria, &c. ergo cum firmamentum, iuxta Scripturam, diuidat aquas quæ sunt elementales, ab his quæ sunt supra celum, non potest nomine *firmamenti* totum celum intelligi, quia hoc non est immediatum nostris aquis; debent ergo intelligi omnia corpora quæ sunt inter aquas terrestres & celestes. Vides ergo, ex nomine *firmamenti* nihil planè de soliditate deduci.

Secundò respondeo ad loca supra allata, in eis, vbi celi dicuntur firmi, nihil de soliditate contineri, sunt enim firmi, stabiles & incorruptibiles, etiam si non duri.

Ad secundum, in quo Christus dicitur celos penetrasse, respondeo, nihil planè probare, potuisset enim de facto celos penetrasse, etiam si id non fuisset necessarium, quia celi poterant cedere: sicut licet ianux ad Apostolos poterant aperiri, Christus tamen de facto eis clausis intrare voluit, vt sic donum suæ subtilitatis ostenderet.

Paulus

Paulus autem eo loco quid sit factum significat, causam autem non reddit. Melius possem ego ex Scripturâ obicere locum Psalm. 21. *Artolise portas*, &c. quo videtur denotari, sine vllâ penetratione Christum calum intrasse. Sed non hæc virgeo, quia in Scriptura hæc locutiones non semper in Philosophico rigore vsurpantur: & quidem quoad Verbum *penetro* res est euidentissima ex eodem Paulo, qui solum denotat ingressum vsque ad interiora; alioquin, quod valde esset lepidum, quando ipse 2. ad Timoth. 3. prædicat, futuros raptores qui penetrarent domos, & virgines rapiant, &c. credendus erit, putasse, Deum in gratiam talium lurconum vera miracula facturum: & eis dotem subtilitatis ad tam egregia facinora præstaturum. Nec arbitror à Tannero id ceteri necessarium ad explicandum illud Verbum: & ratio est, quia communissimè apud nos, penetrare vsque ad aliquem locum, nihil aliud est, quam peruenire vsque ad illum. Quod assertur ex Isaiâ, *Celi sicut fumus liquefcent*, longè aliam etiam habet explicationem, id est, *celi mutabuntur in melius*. Ita in hunc locum noster Cornelius, ubi nec verbum de amissione soliditatis, quasi illam iam habeat, prout Tannerus opinatur. Denique circa præcipuum illum locum Eliu, *celi quasi ere fusi sunt*, non possum non mirari, à Tannero supponi pro comperito, ibi esse sermonem de celis strictè loquendo, & hanc esse omnium Interpretum mentem; cum tamen accuratissimus Iobi interpret & eruditissimus, noster Pineda, in eum locum clarè ostendat ex communi sensu, solum esse sermonem de regione aëris, & ne quidem vertit in questionem, an de celo intelligendus sit ille locus. Videas ergo, quàm leui nitatur argumento ea censura.

Veniamus ad Patrum testimonia, quæ fateor clariora esse pro hac sententiâ, eaque videri possunt supra apud Tannerum: in multis tamen non esset difficile inuenire explicationem, sed melius vno verbo respondeo, illos solum intelligendos de firmamento stellato, nec vllum verbum esse quod de inferioribus accipi debeat: & ad diuisionem aquarum, quæ sunt super firmamentum, sufficit, si vel vnicum calum sit solidum. Quid si duos ponamus, empyreum & stellatum?

41 Hinc concludo, nihil planè esse nec à ratione, nec ab auctoritate, quod reddat improbabilem sententiam, asserentem calos esse liquidos, cogatque eos defendere solidos. Quid autem de facto dicendum sit, videtur incertum: vtrumque enim, saluis his quæ videmus, possibile est; quid autem de facto Deus fecerit, non satis constat: propter dicenda tamen num. 52. probabiliorẽ puto sententiam asserentem, calos Planetarum esse fluidos, & quia etiam in hac sententiâ omnia, quæ de istis moribus diuersis Stellarum, maculis, phænomenis, &c. conspiciuntur, facilius saluantur.

Hæc intellige circa soliditatem: circa corruptibilitatem verò non minor videtur esse difficultas. Multi enim putant, calos esse ex ipsâ aquarum substantiâ, à Deo tamen instar glaciæ consolidatos, quæ est mens multorum Patrum. Imò Beda relatus à Magistro Sententiarum in 2. dist. 14. affert, ad id persuadendum, exemplum crystalli, 42 quàm ex aquâ putat formatam. Qui ergo cum huc eos ex aquâ factos crediderit, dicit necessariò

illos naturâ suâ esse corruptibiles, à Deo tamen qualitate aliquâ solidatos. Qui verò (vt probabilius puto) diuersam in eis formam substantialem posuerit, probabilius eam incorruptibilem naturâ suâ adstruet: nihil enim est quod suadeat, illam esse vllò modo corruptibilem multa autem suadent esse incorruptibilem, tum quòd Soli aliisque vehemensissimis agentibus resistent semper; tum quòd pulchritudo Vniuersi ibi perat corpora incorruptibilia, quæ certa ac stabilis aliorum sint mensura: cumque non repugnet vllò modo tale corpus incorruptibile, quis non dicet, eiusmodi esse calos? Et hæc locum habent, etiam si sint fluidi: quia, vt supra dixi, non est idem, esse fluidum, & corruptibile: Video hinc P. Salianum Tomo 1. die 2. mundi, multorum Patrum testimonia congerentem, vt probet, calos esse eiusdem naturæ cum aquis. E contrario putat Tannerus, multò esse conformius Patribus, calos non esse ex aqueâ naturâ, imò neque materiam primam calorum esse eiusdem speciei cum materiâ aquæ, aut aliâ sub- 43 lunari. Arbitror tamen, neutrum suum probare intentum. Et quidem, quod Tannerus de materiâ primâ dicit, planè caret probabilitate: inde enim præcisè probat, materias illas esse diuersæ speciei, quia celi omnes simul cum elementis creati sunt, non autem ex ipsis elementis. sed quis non videat statim, hanc illationem nullam esse? quasi non posuisset Deus in eadem materiâ primâ quoad speciem simul diuersas formas calorum & elementorum creare? Numquid, quia aër non ex aquis, & terra non ex aëre, sed omnes simul producti sunt, idèò constant materiâ primâ diuersâ in specie? Quòd verò obijcit Secundo, calos dici creatos, minùs probat: nam etiam si habeant eandem materiam cum sublunari, adhuc potuerunt creati primâ die, sicut creata fuit terra. vnde alibi dixi, planè esse dubium, si ne eiusdem speciei materia prima celi cum nostrâ.

Deinde hinc constat, ex his locis nihil inferri contra Salianum, aientem, etiam formam substantialem celi non esse eiusdem naturæ cum formâ aquæ: nam licet celi simul cum aquis creati sint, & non dicantur ex aquis facti, possunt tamen esse eiusdem naturæ cum aquis, imò quò magis sint eiusdem naturæ, eò minùs dicantur ex aquis facti, aqua enim non dicitur fieri ex aquâ. Adde, si auctoritas requireretur, satis multa pro se habere Salianum testimonia Patrum, aientium calos ex aquâ factos.

Quod verò è contrario Salianus docet, dupliciter potest intelligi: Vel vt de materiâ primâ aquæ loquatur, & sic, fateor, satis probabiliter persuadere ea loca, esse calos ex materiâ primâ aquæ: sed quia sunt etiam alia aliorum Patrum, qui omnes calos cum terrâ simul primâ die creatos esse dicunt, res tota dubia est. Si verò Salianus contendat, etiam formam substantialem celi esse eiusdem speciei cum formâ aquæ, planè nihil ex eis locis probat, quia etiam pisces dicuntur ex aquâ facti, item & aues, non tamen propterea forma substantialis auis eadem cum formâ aquæ, vt per se patet. Imò, vt paulò antè dixi, aqua non dicitur fieri ex aquâ. Adde, si 45 quæ sunt loca, quæ videntur insinuare, manere ibi eandem aquæ substantiam (quæ tamen vix vlla sunt) testimoniis aliorum Patrum, aientium simul

simul omnes celos creatos esse, & solum secundum diem induratos, posse facile ea testimonia infringi. Unde constat, nullo modo posse inde quidquam certi deduci; sed, ut supra dixi, probabilius esse, formam ipsam substantialem esse diuersam. ut quid enim Deus perpetuo eam soliditatem aquis contra ipsarum naturam daret? nonne melius est creasse formam, quæ id ex se peteret? Nec obest, celos postea corrumpendos: quia, quicquid de hoc sit, res naturæ suæ incorruptibilis potest diuinitus à Deo corrumpi vel annihilari.

SECTIO IV.

De numero celorum.

NOVA hæc celebris occurrit de celorum numero difficultas. Qui celos fluidos dicunt, facile se ab hac questione expediunt: ponunt enim vnum tantum celum per quod Planete astraque discurrunt, sicut pisces in mari, aut aues in aëre; difficultas est, casu quo celi sint solidi.

SUBSECTIO PRIMA.

Sententia ponens vndecim, & alia tres tantum statuens, reijciuntur.

46 **P**UTANT nonnulli, quos sequuntur Conimbrienses 2. de Cælo, cap. 5. quæst. 1. art. 1. & 2. celos esse vndecim: septem inferiores distribuunt inter septem Planetas, octauum dant stellis, nonum vocant *primum mobile*, decimum *glaciale*, vndecimum *empyreum*. Hæc doctrina, quam nonnulli recentiores putant paucos habere pro se patronos, est satis antiqua: imò Tannerus Disput. 6. quæst. 4. dub. 4. asserit per trecentos annos à Philosophis & Mathematicis traditam. Eam sequitur noster Clavius, Molina, & Pereyrius apud Tannerum supra. Nihilominus tamen quatenus ponit celum *glaciale*, & *primum mobile*, videtur falsa, non quidem quia impossibile fuerit Deo. duos ibi eos celos ponere (in hoc enim nec levis est repugnantia) sed quia planè sine necessitate eos videtur ibi collocare. Et quidem de *glaciale* res est clarior, quia fundamentum fortè ponendi hoc celum est, quod velint nomine illius intelligere aquas quæ super celos esse dicuntur in Scripturâ & Patribus. Hæc autem ratio nulla est, quia celum glaciale improprie & violentissime potest dici aqua, præsertim cum multi Patres reputent, omnes alios celos etiam ex aquis condensatis factos; ergo nomine aquarum, quas supra celos ponunt, non ipsas in celum condensatas, sed veras aquas intelligunt: nec aliud video fundamentum ponendi tale celum.

47 Quod ad *primum mobile* attinet, etiam facile reijciatur hæc sententia; nititur enim quodam principio in Philosophiâ falso, de quo Sectione sequenti, dum de motu celorum agemus: est autem, celos inferiores simul moueri duobus motibus contrariis, vno proprio, altero ab hoc primo mobili proueniente.

Deinde, etiam si hoc principium esset verum, non esset propter necessarium ponere vnum celum, à quo ille motus proueniret: Angelus

enim mouens celum Solis v. g. posset simul ipsi vtrumque motum dare, & dum moueret Solem ab Oriente in Occidentem, posset etiam simul parum illud retrahere.

Idem est altera ferè extrema sententia, solum vnicum celum admittens, excepto empyreo & aëre, quem etiam vocant celum. Unde absolute dicunt se tres celos ponere: & dum Paulus secundo tertium celum raptum dicit, putant de empyreo intelligendum. Hi Auctores docent, Planetas & Errones omnes non esse affixos celo, sed per canales seu vacuitates quasdam deuehi. Ita nonnulli recentiores. Verum hæc doctrina, licet ratione vacui non videatur mihi improbabilis, quia, ut ibi dixi, nihil est quod naturaliter peccat ne possit esse aliqua pars vacui, aliunde tamen efficacissime eam reijciunt: quia pro Sole deberet celum mediâ ferè ex parte esse excavatum & vacuum. non enim solum totus circulus, quem die nocteque ab Oriente ad Occidentem, & ab hoc per Antipodas vsque ad nostrum Horizontem conficit, sed secundum celi latitudinem, iuxta totum spatium quo deflectit ab vno ad alterum Solstitium per sex menses, quæ est vna terribilis latitudo, quæ præsertim in his partibus Septentrionalibus cerni potest manè & vespere ex distantia ortus Solis 22. lunij ab Ortui 21. Decembris. Porro totam eam partem esse debere excavatam, patet euidenter, quia aliàs Sol non posset intra illam iam huc iam illuc deflectere, deberet enim penetrari cum celo, vel celum esse fluidum, quorum vtrumque ab his negatur, & merito; ergo debet totum illud spatium esse excavatum.

Quod autem tanta excavatio seu vacuitas planè sit reijcienda, inde ostendo euidenter: nam intra illud spatium tam versus Orientem quam Occidentem, quam etiam versus Meridiem, videmus de nocte multas stellas ex fixis, & Planetas Sole superiores: hi autem videri non possent, si medium inferius esset vacuum, quia per illud non possent transire species ad oculos; ergo. Idem argumentum secundò facio in Lunâ, quæ etiam iam ad Septentrionem iam ad Meridiem deflectit, & eadem via quâ Sol: cumque ea via debeat esse centuplo latior fortè quam Luna (nam si rectè consideretur totum spatium quo deflectit, possent esse intra illud minimum centum Lune. quid dico centum? multa millia.) debet ibi habere vnam vacuitatem multo maiorem etiam quoad latitudinem; unde perpetuo deberemus nos esse in tenebris, nec vniquam, propter vacuum illud, videre Solem. Huic ultimo argumento à Luna posset responderi, Lunam agitari extra ipsum celum intra aërem aut ignem, si hic ibi sit; quæ cum sint corpora liquida, cedunt, & statim vniuntur. Sed hæc responsio est contra ipsos aduersarios, qui eodem modo de Lunâ, quo de aliis Planetis loquuntur: videtur etiam esse contra Scripturam, quæ Solem & Lunam eodem modo dicit positos in firmamento; unde non licet dicere vnum in celo, alteram in aëre. Deinde, deberet necessariò tam ingens moles Lunæ totum aërem violentissime cedere, & sonum non leuem excitare.

Dices Primò, omnium sententiâ Errones habent diuersum motum à motu sui orbis: hoc autem non potest fieri, nisi sint aliquæ vacuitates in illo

illo orbe, ut iam in hac iam in illa sint, alioquin deberent penetrari cum suo orbe. Respondeo, falsum esse Antecedens, Errones enim habent diversas altitudines ex motu diverso orbis sui. Secundò responderi potest, Errones habere aliquos epicyclos, in quibus intra idem cælum iam huc iam illuc moueantur, ut inde in diuersis distantis appareant.

⁵¹ Dices Secundò: D. Chrysostomus Hom. 4. in Genesim hac habet: *Quis igitur post tantam doctrinam ferret eos, qui ex suo capite loqui, & contra diuinum Scripturam multos celos dicere audent?* Ambrosius tres etiam tantum adnumerat celos Hexaem. 2. cap. 2. Respondeo, in primis testimonium Chrysostomi esse contra hos qui ponunt duos celos, ille verò tantum vnicum admittit, ergo auctoritas illius vtrique repugnat. Respondet Ambrosio & Chrysostomo potest, vnicum cælum quoad speciem eos admittere, plura verò eius indiuidua non negare. Quod si Ambrosius tres celos ponere videtur, idcirco est, quia empyreum & aërem nostrum etiam vocat cælum; hic autem solum loquimur de cælis Planetarum. Hoc modo etiam potest explicari Theodoretus, & Clemens Romanus apud Hurtadum Disp. 2. §. 14. quos pro se ibi affert. Addo Secundò, etiam si daremus, hos Patres eam sententiam expresse docuisse, non propterea nos cogi eam defendere; communis enim inter Philosophos & Astrologos Catholicos consensus ei auctoritati sufficienter praeponderat.

SUBSECTIO SECVNDA.

Quid de questione.

⁵² PRIMO, casu quo cæli sint solidi, ponendos esse nouem, vnum empyreum immobile, huic immediatum aliud sidereum, & postea septem alios pro septem Planetis. Hac quoad septem pro Planetis constat ex dictis: non enim possunt moueri ab Ortu in Occalum diuersis motibus, nisi quilibet habeat suum proprium cælum, vel sint tam multi in cælo canales & vacuitates, ut planè impediatur superiorum stellarum conspectum, ut supra dixi. Quoad empyreum res est extra controuersiam, quoad stellatum verò res est magis dubia: posset enim quis dicere, ipsas stellas esse in empyreo quâ parte nos respicit; cum enim sint stellæ inerrantes, possunt esse fixæ in eâ parte cæli, nec necessarium est aliud cælum pro illis ponere. Respondeo tamen, cælum empyreum, in quo sunt Beati, non moueri, stellas autem has moueri, & consequenter indigere distincto cælo.

Contra hæc omnia est difficultas haud levis, non quidem rem physicè considerando, sed moraliter. Si enim cælum septimum perpendamus, inueniemus in eo magnitudinem propriè infinitam, in cuius comparatione Saturnus illi affixus est tamquam vnicum punctum, vel vna gutta aquæ in comparatione totius maris; & adhuc multò minus (magis enim incredibiliter excedit tota sphaera eius cæli Saturnum, quàm Oceanus vnam guttam aquæ.) Hoc ergo supposito, planè videtur à Dei sapientiâ alienum, ad illud quasi punctum non quidem in se, sed, ut dixi, respectu ad cælum, Saturnum scilicet mouendum,

sine aliâ prorsus intentione aut vtilitate mouere totam illam propè infinitam cæli septimi machinam. Certè qui ad solam vnam guttam aquæ mouendam totum Oceanum mouere perpetuò disponderet, non videretur prudenter rem disposuisse. Idem argumentum suo modo fit in omnibus alijs Planetis. Hoc est argumentum, propter quod supra dixi mihi apparere probabiliorem sententiam, asserentem, celos Planetarum esse liquidos; sic enim non cogimur imensos eos orbes perpetuo motui subijcere, sed solos Planetas, qui eo ipso quod cæli sint fluidi, possunt habere motus omnes quos Astrologi in illis deprehendunt: nec est in hac sententiâ necessarium designare Epicyclum seu circulum in quo sint hi Planetæ, sed illi soli aguntur ab Intelligentiâ in circuitu.

Dices: Illi Planetæ sunt solidi & densiores, ergo sunt grauiores quàm cæli, ergo cadent; quia cum cæli fluidi sint, non possunt eis resistere.

Respondeo Primò, eos sustentari ab Angelo à quo circumaguntur. Secundò respondeo, non esse bonam consequentiam, *est res densior, ergo grauior*: etenim glacies est densior quàm reliqua aqua, & tamen semper glacies supernatat, & aër est densior quàm sit stupa vel charta, & tamen hæc descendunt infra aërem, ratio est, quia densitas non est idem quod grauitas.

SECTIO V.

De motu calorum.

QUA de certâ cuiuslibet stellæ magnitudine, & earum à nobis ac inter se distantia ab Astrologis dicuntur, omitto; multa enim hi supponunt, quæ non videntur posse probari. Licet enim, quando certò quis deprehendit distantiam obiecti, possit potèa inferre quanta sit eius magnitudo; at distantiam vnde poterit primò certò probare, si prius non fuerit reimensus: Vnde semper hi videntur probare vnam conclusionem ex aliâ, quod ostendo euidenter. Nam in nouis Cometis nullum est instrumentum, quo independentè à comparatione cum alijs cælis possit quis metiri altitudinem illorum: imò etiam post comparationem cum alijs cælis, quidam dicunt esse supra Lunam, alij infra, & quilibet putat se euidenter demonstrare; non ergo potest cæli Lunæ altitudo à nobis vllò instrumento certò dignosci.

Dices: Scio quanta sit magnitudo Lunæ, & hinc probo quàm procul à nobis distet. Benè: sed quæso, vnde scis determinatam Lunæ magnitudinem? & quæso, ad hanc probandam non supponas eius distantiam, quia tunc fiet lepidus circulus. Fortè dices, ex eclipsi id ad te inferri. Sed contrà rursus, quia ipsius terræ magnitudinem seu circumferentiam, ex quâ discutris, non potes scire certò, nam quot sint lineæ rectæ milliaria ab vno extremo ad aliud terræ, quis certò ostendat? Secundò oportet vterius scire altitudinem Solis, de quo est noua difficultas: nam quò altior fuerit, eò minùs impediatur à terrâ ut Lunam illuminet, & quò demissior, eò magis impediatur, stante eadem Solis, Lunæ, & terræ magnitudine. quomodo ergo iam hinc quidquam certi deprehendatur? Constat ergo, in hoc puncto multa dici diuinando. Omittis ergo his, ad motum cælorum veniamus.

Vv

Putant

56 Putant nonnulli Astrologi, simul & semel Solem v. g. habere duos motus contrarios, vnum ab Oriente ad Occidentem, alterum quo tantillum ab Occidente in Orientem retrocedit: quod probant diuersis stellarum positionibus. Hæc tamen sententia merito rejicitur communiter ab omnibus bonis Philosophis; talis enim motus planè naturaliter impossibilis est. imò si idem Sol v. g. simul in duobus locis non ponatur, nec miraculosè id fieri potest, quod hac ratione sic ostendo. Sumo v. g. vnum punctum fixum superioris celi aut inferioris, cui respondeat Sol, & rogo, quando habet eos motus, an simul & semel sit ultra illud punctum versus Orientem & simul versus Occidentem ex altera parte, an non. Si primum, ergo simul est ante & post illud punctum, ac proinde in duobus locis, quod & naturaliter repugnat, & à te non docetur. Si verò dicas secundum, scilicet non moueri versus vtramque partem, ergo non habet duos motus contrarios, sed vnum tantum, licet paulò tardior, quia scilicet non ita properat versus Occidentem, ac si non retardaretur. Et miror, hos Astrologos se reduxisse ad tantas angustias: quid enim erat necessarium duos motus contrarios ponere? nonne per vnum tardior totum, quod ipsi volebant intelligi poterat?

57 Fortè respondebunt, idem corpus posse à diuersis principijs simul habere duos motus contrarios. Hæc responsio facillimè rejicitur: nam, ut paulò antè dixi, motus illi contrarij deberent ponere corpus in duobus locis simul, hæc enim sola & efficax ratio est, cur in nobis & in quocumque alio corpore duo motus repugnent. Iam hinc ad cælos clarè argumentor: Repugnat enim eis, simul duobus in locis poni, etiam à diuersis principijs, non minùs quàm nobis; ergo nò poterunt nec à diuersis principijs simul moueri. Confitemur: etiam si duo Angeli aut demones velint simul vnum eundemque lapidem, vnus ad Orientem, alter ad Occidentem mouere, nihil planè efficient, ergo nec poterunt etiam in cælis.

Dicendum ergo, motum celi vel Planetarum esse vnum, non tamen omnino lineà rectà, sed simul ad partem deflectendo, ut eum nos obliquè ambulamur: & hic motus quā parte deflectit, dici potest vel *annuus* vel proprius talis Planetæ trepidationis; quā verò circuit terram, est motus communis omnibus, & vocatur *motus diurnus*.

58 Secundò hic potest dubitari, an motus iste circularis sit naturalis cælis. Video multos valdè acriter affirmantes, cælum propendere naturā suā in hunc motum: verum non possum id villo modo mihi persuadere, nec apparentem video huius rei rationem, quod ostendo breuissimè, explicando quid sit motus, quidve per illum acquiratur. Motus duo dicit, actionem productiuam vibrationis, & vibrationem ipsam acquisitam. Ex hac parte non videtur posse esse motus connaturalis cælis: nam si cælum appetit vibrationem A, & actionē quam habet dum primò mouetur, ergo 59 habita iam eā actione & vibratione, erit omnino contentum, nec nouam appetet, sed potius horrebit; quia per illam destruetur illa vibratio quam habuit primo loco; ergo non appetet ampliùs moueri. Hoc idem argumentum fit in spatio vero, vel ficto seu imaginario, quod per vibrationem dicitur acquiri: nam semel eo acquiritò, iam non appetet vterius moueri, & consequenter non exiget connaturaliter continuum motum. Secundo idem probò, quia omnes partes celi sunt eiusdem speciei inter se, idem dico de Planetarum partibus inter se; ergo non potest vna magis quàm altera appetere locum A. v. g. ergo quando illum habet vna pars, non possunt aliæ appetere ne illum retineat, ut aliæ valeant illum occupare; ergo nec possunt appetere talem motum. Idem tertio ostenditur: nam in eodem loco in quo est hodie, fuit heri, ergo si heri appetebat locum hodiernum cum iam illum habuisset heri, non erat necessarium appetere motum sed quietem in illo loco. Tandem idem ostenditur exemplo aliarum rerum quæ appetunt aliqui, illæ enim eo adempto quiescunt: sic lapis tendit in centrum, ibi autem quiescit; sic ignis supra, sic terra infra aquam, & hæc infra aëtem, qualis autem esset appetitus, petere iam esse infra aquam, & iam supra, & sic perpetuò mutare locum?

Contra hæc tamen sic obijcio difficulter: Non repugnat vna res, quæ petat prædicto modo semper moueri, quidquid sit de similitudine vibrationum aut loci; ergo tua ratio nulla est, cā enim videtur vniuersaliter probari, non posse esse appetitum & inclinationem ad similem motum; ergo non rectè inferitur, cælum illā carere. Vtræque consequentia est bona. Antecedens verò probatur euidenter in impulsu, qui naturaliter appetit talem motum, ita ut si non moueatur res in quā est talis impulsus, fiat aliqua violentia; ergo potest esse inclinatio ad talem motum. Cur ergo cæli non poterunt habere naturā suā eam exigentiam motus, quam haberet impulsus accidentalissimè pressus eis ab Angelis, ut circumspoluantur? exigentia enim, quæ qualitati impulsus identificatur, poterit identificari etiam substantiæ quæ eminenter contineat eius impulsus essentiam.

60 Posset fortè quis respondere, illum impulsam naturā suā appetere motum, non quia vibratio hæc præ alia sit ei magis connaturalis, sed quia est productiuus ex se motus, & vult exercere suas vires. Sed contra Primò, quia hoc ipsum potest dici de aliquā substantiā, & consequenter de cælis. Contra Secundò, quia etiam conservando vibrationem primò productam exercet suas vires, nec videtur maius commodum ex noua omnino similis productione, quàm ex antiquæ conservatione ei posse prouenire.

61 Hæc obiectio est difficilis, & videtur probare, non repugnare talem exigentiam motus. Nihilominus dico, ex impulsu non videri bonum argumentum ad substantiam: nam impulsus est vis quædam ab extrinseco proueniens, quasi violentia & naturā suā productiua motus, siue ad hanc siue ad illam partem; idem enim impulsus esset, qui imprimeretur à me versus Orientem cum eo, qui versus Occidentem, solumque habet impulsus mouere corpus versus eam partem, ad quam projicitur; è quo non licet inferre, dari posse qualitatem aliquam quæ per eamdem partem petat moueri, & non per alias. Cur enim, quælo, petunt cæli magis motum ab Oriente in Occalum, quàm contrarium, aut à Septentrione in Meridiem, aut à Meridie in Septentrionem? præsertim quando id fiet præcisè vnā parte eijciente alteram.

reram è suo loco vt in ipsum succedat, & sic per pugnam omnium partium similibus inter se, quod videtur omnino repugnare.

Secundò respondeo, si fortè hoc diuinitus non repugnet, non propterea debere concedi calis de facto: non enim omnia quæ non videntur repugnare diuinitus, concedenda sunt de facto creaturis, præsertim quando & nulla est ratio quæ de facto cogat ad id ponendum, & res per se est valde difficilis; motus autem calis saluantur perfectissimè, si vel à Deo vel ab Angelis fiant, de quo statim. Aduerte tamen hic, etiam si motus hi non sint calis debiti, non tamen esse illis contrarios; vbiq; enim habet cælum locum sibi debitum, siue hæc pars sit hic, siue ibi.

Tertiò potest hic dubitari, quæ sit causa efficiens motuum. Dico, naturaliter loquendo, hi motus possunt fieri à Deo. Patet, quia nihil apparet in eis, quod petat specialiter causam aliam præter magis particularem: nam Angelus, licet naturâ suâ possit id facere, non tamen hoc illi debetur; & calis tam connaturaliter existerent & moueri possent, licet non fuissent producti Angeli, quam iam de facto.

Secundò dico, etiam possunt fieri naturaliter ab Angelo. Patet, quia nihil est quod videatur superare capacitatem Angeli in his moribus.

Tertiò dico, à quo de facto moueantur, an à Deo solo, an etiam ab Angelo dubium est, quia ex his, quæ videmus, aut ex naturali ratione nihil potest certi inferri. Quidam recentiores indignum putant Deo summo Principi, his motibus per se immediatè vacare; sicut esset indignum Imperatore, immediatè per se attendere culinar, &c. Hæc tamen ratio non debuisset ab vilo Catholico approbari: cæ enim probarunt hæretici, Deum non scire omnia particularia, quot scilicet culices nascantur, &c. Item hoc argumento potius videtur probari sententia Durandi, aientis, Deum immediatè neque vt causam primam concurrere ad actiones creature: si enim Deus immediatè per se concurrat, quod id faciat, totaliter vel partialiter per accidens se habet; sicut Imperator tam est indignum, si fortè non magis immediatè simul cum coquâ cibos condire, aut cum famulo solibus ignem accendere, quam si solus hæc faceret. Hæc, inquam, exempla non debent vniquam afferri ad excludendam Dei causalitatem, quia vel nimium probant, vel nihil.

Propter auctoritatem ergo communem (videntur enim omnes Theologi & etiam Patres id semper supponere, calos ab Angelis seu Intelligentijs moueri, quæ de re videantur Conimbricenses 2. de Cælo, cap. 5. quæst. 5.) dicendum est, immediatè Deum vt causam primam hos motus causare, eo vt etiam concursu Angelorum: id enim potest fieri naturalissimè, neque vlla est in tali modo concurrendi indecentia, aut repugnantia; aliunde verò ita videntur omnes sentire, vt dixi: probabilius ergo dicitur, ita de facto fieri. Quartò dubitari potest, an cessante motu calis, cessarent motus sublunares. Conimbricenses hic apud Hurtadum Disput. 2. §. 53. referunt aliquos Thomistas affirmantes, sed eos bene ibi rejiciunt iidem: nam motus calis solum potest esse conditio, vt calis accedat ad hanc potius quam ad illam partem, & consequenter vt successiue in omnes melius influant: at etiam si non mouerentur, cur

non possent in omnes illas creaturas, ad quas extenditur calorum capacitas, influere? Certè ed melius, quod diutius illi essent applicatæ, dicerem meritò id fieri posse.

Secundò idem ego probo: nam licet multi & magni sint calorum influxus in inferiora hæc, non tamen ita, vt putandum sit, nihil planè posse fieri sine illis. Quis enim sibi persuadebit (quod & alibi dixi) lapidem corruptum iri in momento, si cæli destruerentur, aut ignem tunc non calefacturum, nec niuem in frigidaturam? Cessarent ergo multæ actiones, non tamen omnes. Et hoc modo potest explicari Aristotelis, dum dicit, gubernationem mundi pendere à rerum inferiorum coniunctione cum motibus calis.

SECTIO VI.

Aliquæ difficultates expeditæ.

PRIMA est, quid influant corpora cælestia in inferiora. Respondeo, rem hanc esse valde incertam. Influant quidem in corpora humana; constat enim, in mutationibus Lunæ homines infirmos peius valere: passim etiâ deprehenduntur à Medicis & Astrologis similes influentiæ. In voluntatem hominis non influunt immediatè; est enim potentia spiritalis, quæ talibus mutationibus non immutatur: mediatè verò, quatenus humores vitales hominis, valde etiam animum mutant, possunt influere. Ex astris possunt aliquando prædici morbi, & mors: at actus liberi non possunt, quia positis omnibus prærequisitis ad operandum, possunt hi actus non esse; ergo & positis omnibus constellationibus, etiam si hæc essent prærequisitæ, quod tamen falsum est. Vnde euentus aut morbi, qui pendunt ex actibus liberis, v. g. ex eo quod annuum inuitanti ad conuiuium, vel ad campum, vbi postea occurrit aliquod graue periculum, nullo modo potest prædici, non solum certò, sed nec quidem probabiliter; quia amicitia v. g. quam ego hic cum aliquo habeo, pependit à meo luca duentis ex voluntate Superiorum, quæ non potuit ex astris vilo modo præuideri, nec quidem probabiliter. Idem quoad bellum, quia hoc pendet sæpè ex vnâ solius hominis liberâ voluntate vel se vindicandi, vel augendi suum imperium. Vnde meritò sancti Patres contra Astrologos, qui hæc futura libera certò prædicere se putant, grauiter inuehuntur.

Secunda difficultas est de luce calis, quæ & qualis sit, ac quibus conueniat. Cælum empyreum esse lucidissimum, velo tamen opaco, quæ parte nos respicit, obiectum, communiter putatur. Ego in hac re dico, sicut non potest bene probari, ita nec reici: qui enim diceret ipsum cælum esse opacum, in solâ autem superficie versus Beatos habere lucem splendidissimam, quomodo reitceretur? Alios verò calos esse diaphanos, stellæ, quæ supra illos videntur, ostendant. An Planete habeant à se aliquam lucem, planè dubium. Probabile est, habere: quia si vera est sententia, docens, etiam in meridie videri ex profundis puteis stellæ, cum ipsæ sint supra Solem, & tunc à Sole non respiciantur nec illuminentur (suppono enim Solem esse opacum à tergo, vt possit ad nos melius lucem mittere) necessarium est, vt illa lux stellarum sit independens à Sole. Lunam etiam

habere aliquam lucem, probatur communiter, eò quòd etiam in eclipsi habeat lucem. Sed facile posset quis dicere, eam habere ab aëre vicino, illuminato à Sole; sicut apud nos non sola corpora, quæ rectà aspiciunt Solem, sed etiam collateralia illuminantur, licet non tam intense. Nihilominus probabiliter etiam illi conceditur sua lux, sicut aliis stellis vel Planetis.

69 Lucem esse quid reale, ipsis oculis videtur ostendi. Eam esse accidens, non probo inde cum nonnullis, quia sensus non percipiunt nisi accidentia: qui enim diceret esse substantiam, negaret eo ipso illud principium; quod non potest probari, nisi supponendo prius, omnia, quæ sensus percipiunt, esse accidentia. Melius ergo probatur, quia nullum planè fundamentum est, ad dicendum eam esse substantiam, magis quàm de calore aut frigore: eo enim modo crystallus amittit & recuperat lucem sine substantiali mutatione, quo amittit & recuperat lucem. Nec facile concipi potest forma aliqua substantialis, quæ sine vllà dispositione præuià in omnia ferè corpora, saltem in primà superficie, recipiatur. In nostris principiis potest reddi ratio, eò quòd lux non sit primum principium eorum quæ sunt v. g. in crystallo. Nam non esse corpus distinctum, patet, quia aliàs corpus penetraretur cum corpore, quod repugnat: lux enim multa corpora penetrat omnino, v. g. crystallum, aquam, &c. alia verò saltem in superficie.

70 Vbi aduertat velim, aliquos ex componentibus continuum solis infinitis partibus, ac negantibus superficies indiuisibiles; in præsentia tamen admittere, in ordine ad lucem, superficiem indiuisibilem, & dicere, eam lucem penetrari cum eà superficie, non cum aliis partibus. Vnde euidenter inferitur, Primò, illam superficiem esse in diuerso loco ab his partibus, & consequenter indiuisibile additum parti facere maius. Secundò inferitur, non esse idem tangere rem indiuisibilem, & esse penetratam cum illà: nam mea manus tangit primam superficiem muri, & tamen non penetratur cum illà, sicut penetratur lux residens in eadem superficie, vnde tandem inferitur, non, quia vnum indiuisibile tangat alterum, aut sit iuxta illud localiter, idèò sequi, penetrari debere cum illo, vt hi obiciunt. Sed hæc fusiùs suo loco perstrinxi; sufficiat ea hic insinuasce.

71 Tandem, eam esse eiusdem speciei cum luce ignis, videtur probari ex vtriusque similitudine.

Dices: Lux Solis extinguit candelam, ergo est diuersa. Respondeo, hoc argumentum nimium probare: nam licet diuersitas vtriusque lucis vtrumque posset defendi, contrarietas tamen illarum inter se omni caret probabilitate. Igitur respondeo, vt alibi etiam docui, eam experientiam non semper esse certam; quando autem contingit, fortè prouenire ex eo, quòd vehemens calor Solis solet aërem mouere: & paræ valdè candelæ, in quibus tantum ea experientia locum habet, extinguuntur statim ad quemcumque motum leuem.

Alia, quæ de meteoris, Cometis, fluxu & refluxu maris possent disputari, prudens omitto; sunt enim res valdè dubiæ, & quarum causæ penitus

ignorantur, nec nisi reducendo ad illorum occultas qualitates, aut influxus secretos, & consequenter semper diuinando, dici aliquid potest. Videantur Patres Conimbricenses, qui rem hanc curiosam magis, quàm vtilem, curiosè valdè & eruditè tractant in speciali de illà tractatu. Quòd si tam facile esset, aliquid solidi dicere, quàm multas eorum rationes & explicationes ibi allatas efficaciter refutare, libenter materiam hanc aggrederer, sed quia primum non spero, omitto & secundo.

Cometæ dicuntur fieri ex exhalationibus caelestis accensis: dicuntur prædicere magnos ventos, propter copiam exhalationum. Sed quis putet, exhalationes, quæ sunt in vno exiguo Cometa, sufficere ad implendam totam Europam ventis, aut medium orbem per multos menses?

Dices: Quando illæ exhalationes in Cometam rediguntur, est signum etiam esse alias multas. Sed contrà, quia neque hoc inferitur: illæ enim quæ constituunt Cometam, eodem modo illum constituerent, etiam si aliæ diuersæ exhalationes non essent.

Venti ex iisdem vaporibus fieri dicuntur: putant autem multi, ventos non esse aërem commotum. Ego distinguerem: si enim dicatur, totum ventum esse quid ab aëre distinctum, dicitur res improbabilis; cum enim ventus flans per multa miliaria omnia occupet, quòd potuit abire aërotus qui antea ibi erat: non video vbi inuenisset locum. Deinde flabello, manu, &c. excitatur ventus sine vllis vaporibus, cur ergo aër non poterit etiam aliquà impulsuâ qualitate agitari in ventum? Deinde in vento Aquilonari purissimo & frigidissimo, quis sibi persuadebit nihil aliud esse, quàm puros vapores? Certè ego non facile inducar vt id credam. Si verò dicatur, frequenter etiam misceri vapores, & multos, est probabilis doctrina. Quæ autem sit causa mouens ventos, & vbi incipiant, est planè occultum.

Ætus maris Lunæ tribuitur: sed cum crescente Lunâ sit fluxus & refluxus, eodem die quater, & eodem modo illà decrecente, quis poterit sibi persuadere, eos ab illà prouenire? Imò ita sunt illi fluxus, vt simul ascendat & descendat aqua: sed quando crescit, noui fluctus tantillum altius ascendunt, secundus supra primum, & tertius supra secundum. Quis autem in Lunâ eam virtutem agnoscat, vt iam propellat aquam ad ripam, statim retrahat, rursus propellat, & semper paulò amplius quàm primà vice? Certè tam constantis varietas, & varia constantis motuum eidem Lunæ insensibili tribuere vix est credibile. Adde, illam fortè esse multò minorem Oceano, & summè ab illo distantem, & præsertim quando est apud Antipodas; quomodo ergo tam vehementes habeat vires vt id efficiat? Tandem, mare Mediterraneum vix habet tales fluxus; quomodo ergo Luna tam prudenter distinguit inter hæc duo maria coniuncta, & scit vbi sit frenum, vt non extendat vltra suam iurisdictionem? His similia de aliis meteoris dicuntur passim, quæ non patiuntur se ad Lydium lapidem examinari, quæ quia, vt dixi, planè incerta, consulo prætermitto.